

parare voluerint, vt iterum *durationem* siue tempus indicet, quod vult *Lud. de Dieu in notis* ad h. 1. Eadem ratione, qua Deus hominum tempora ordinavit, quibus quilibet in lucem edi debebat, locum quoque determinavit, in quo terrae incola esset; hanc igitur vocem in primo suo significato retinere poterimus. Secunda vox *ὄροθεσία* ab *ὄρος terminus, limes* et *θεσία* f. *τίθημι pono* derivatur, vnde et designationem terminorum et ipsos terminos f. limites constitutos significat. Hic ultimam habet significationem, et termini habitationum sunt et ipsa regio, in qua quisque habitare vel nasci deberet et terra quam ipse possidere ac quoad pertingere posset, vnde et cuilibet genti praefixi termini eo comprehenduntur. In superioribus Apostolus generatim dixerat, quod homines super terrae superficie habitare deberent; nunc magis determinat, nempe quod cuilibet genti, cuilibet homini certum locum Deus determinasset, quem deberet inhabitare, atque in eo aliis succedere. Male *Lud. de Dieu* terminos durationis f. vitae terminum intelligit, ac verbo decidi putat vexatissimam controuersiam de termino vitae, fixusne sit an mobilis: Sed huius iam in praecedenti voce mentio facta est, ac satis constat, hic primum de successiuorum et tunc de simultaneorum ordine sermonem esse. Nostrae sententiae plerique interpretes assentiunt. Vide *Adamium* l. c. p. 308. 309. *Wolfium* l. c.

§. XXI.

Praedicat tandem Paulus aliquid de terminorum hac designatione, quod praedicatum in voce *ὀρίσας* continetur, ab eadem voce *ὄρος* deriuanda, vnde vox haec significat *definire, determinare* ac terminis reuera circumscribere, vnde omnia a Deo dependere et a nemine alio definiri posse innuitur: hoc autem Deo competit, propter suam immensam sapientiam et bonitatem, quibus rerum creatarum salutem prospicere eo voluit; ac huic etiam operi Deus tantum par fuit, quia ipse omnium rerum creator, qui successiuorum et simultaneorum nexum ab aeterno perfectissime perspexit. Comprehendit vero non solum praedeterminationem eorundem in mente diuina, verum etiam aetuationem, vt reuera ad existentiam perducatur, quae praedefiniuit, ac hac ratione differt a superiori §. XVIII. *προτάσσειν*. quod decretum Dei de rerum creatarum ordine olim constituendo inuoluit, hoc autem redit ad

ex-